11.

Al Rev. P. Antonio di Cipressa
Lett. Giubil.to

QUOD REI THEOLOGICAE BENE VERTAT

ET MINORITICIS VETERIS OBSERVANTIAE JUVENIBUS

APUD VITERBIENSEM GENERALEM SUUM GYMNASIUM EI DICATIS

MAJORI PROFECTUI SIT

FR. MARIANUS ZOVKO A LISSE

FRANCISCALIS CUSTODIÆ HERCEGOVINAE EJUSDEM LYCEI ALUMNUS

HAS THESES

DEVOTAS DEIPARAE ORDINIS MINORITICI PATRONAE

OMNIUM PRIMI EAM IMMACULATAM DOCTRINIS ET VOTIS VENERATI

SOLEMNI PERICULO OBJICIT

DE ORDINE

I.

Dogma fidei est, Christum in Apostolorum persona, ecclesiae per illos fundandae et aedificandae in perpetuum providisse, plena qua eos instruxit auctoritate, potestatem sacra mysteria ministrandi propagandi in posteros per manuum impositionem, tanquam externum signum ab ipso institutum, quo spiritualis gratia hujus sacri ministerii significaretur:, quod proinde verum sacramentum est, cum nullus mortalium signis sensibilibus gratiam alligare possit (1)

II.

Protestantes asserunt hanc sacram ordinationem esse figmentum humanum, eludentes ejus legitimam originem et successionem illa adulterina inauguratione, quam derivant a principe et parlamento, atque ex ea omnem temporariam auctoritatem, omnemque ecclesiasticam jurisdictionem suorum ministrorum; et ita porro, ut sanctissimum vinculum, quo coelum et terra colliguntur, abrumpant.

III.

Nam ex Christi institutione nobilissimus et praestantissimus hujus sacrae ordinationis finis, est sacerdotium visibile et externum; quod non est omnibus fidelibus commune, sed apostolorum tantummodo proprium, externo ritu in ecclesia propagandum, cui competit vera sacramenti ratio.

IV.

Hujus vero sacerdotalis potestatis participatio cum varia sit in episcopis et presbyteris, recte a Tridentino ponitur sacerdotium tanquam genus, ex quo exurgunt duo sacerdotii gradus, cujus species nobilior episcopatus est — Etenim episcopi sunt jure divino potestate jurisditionis presby-

teris superiores, utpote in origine primi, praeordinati a Spiritu Sancto ad ecclesiam Dei regendam.

V.

Et hanc potestatem ordinis uni episcopo competere, patet ex facto apostolorum (2), qui jure sibi proprio presbyteros ordinarunt, et per ecclesias costituerunt. Quod cum semper deinceps observatum fuerit, id divinae istitutionis esse censendum est.

VI.

Ideo sequitur episcopatum esse verum sacramentum a presbyteratu distinctum, cum speciali quadam ratione ad eum pertineant argumenta quae ordinem sacramentum confirmant, uti illa quae de ordinatione Timothei (3), Pauli et Barnabae leguntur (4)

VII.

Ceteri itaque ordines ad sacerdotium, tanquam ad commune principium et finem referendi sunt, ad illius scilicet ministerium dignius, et majori cum veneratione exercendum; ad quos proinde mos in ecclesia est, vocatum in sortem Domini praeparare per tonsuram.

VIII.

Quae tamen caerimonia, sicuti ceteri inferiores ordines, in quos crescente ecclesia diaconatus se diffudit, ecclesiasticae institutionis est. Sunt enim quasi partes et sagmenta ministerii sacerdotalis, quod totum et plenissimum in diaconatu est.

IX.

Atque ideo diaconatum esse verum sacramentum, est communis et certa theologorum sententia; prout constat ex ordinatione diaconorum facta ab Apostolis (5), postquam Stephanus plenus gratia et fortitudine legitur.

X.

Verum cum plenitudo hujus sacramenti in uno sacerdotio sit, cujus consumatio est episcopatus, et diaconatus ejusdem ad quod tendit praeparatio, aperte constat non esse inter se diversos, neque per eos ordinem multiplicari, sed unum tantummodo constituere sacramentum.

XI.

Cum itaque ordo qui sacer est proxime versetur circa eucharistiam, quae coeleste vitae genus quodammodo poscit, ecclesia auctoritate sibi a Christo collata, potuit praecipere, ut qui illum sponte et libere suscipere velit, perpetuo se continentiae vinculo obstringat. Ex apostolica enim traditione, ea neminem conspicuum esse decet, quam divinorum mysteriorum dispensatores.

XII.

In qualibet vero ordinum collatione, pro eorum validitate, ab episcopo valide consecrato, forma cujuslibet propria proferenda est, cum materiam applicat, utraque ab ecclesia praescripta, uti sensibile signum, aptum ad significandum ordinatioins effectum.

XIII.

Ex quo patet ordinationem episcoporum in anglia ob essentialem mutationem formae, esse penitus invalidam. Eo vel magis quia Parkerus, a quo omnes anglorum ordinationes originem ducunt, ordinatus fuit a Barlowio ad ritualis Eduardi VI. formam, quae ex Pio VI. ad mysteria potius impia confirmanda, profertur.

(1) 2. *ad Tim.* 1. *et alibi passim.* — (2) *Act.* 6. 14. — (3) 1 *ad Tim.* 4. 14. — (4) *Act.* 13. — (5) *Act.* 6. —.

DE MATRIMONIO

I.

A Christo suorum mysteriorum dispensatoribus per sacramentum ordinis institutis, nihil superesse videbatur ad generis nostri reparationem, quam sanctificare primaevam illam individuam maris et foeminae societatem, ex qua melior sanctiorque soboles pullularet.

II.

Encratitae aliique nebulones damnabant nuptias uti malas, et a daemone invectas, perperam concludentes ex apostolo (1), prolem ex illis natam esse corruptionem, et seminare in carne, qui liberos procreant.

III.

Nam matrimonium bonum est, naturali ac divinae legi consentaneum, cum natura etiam secluso peccato, ad prolis generationem inclinet, et sexum diversitas ad humani generis propagationem ordinata sit; per quae apostolus (2), vocat matrimonii accusatores homines attendentes spiritibus erroris, et doctrinae daemoniorum.

IV.

Christus itaque ad primaevam monogamiae simplicitatem illud revocavit, declarans ex institutione divina, unum esse debere, conjunctionem scilicet unius cum una (3).

V.

Idemque ita indissolubile, ut nullus hominum ejus vinculum, jure naturali et divino solvere possit. (4): enim e rebelli concupiscentia ex protoparentum lapsu enata, homines eo corruptionis devenerunt, ut ipsi carnales hebraei levissimis ex causis conjugia solverent.

VI.

Casus, qui ex catholica doctrina excipiuntur, pro ejus solutione quoad vinculum sunt, si alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia creatoris, Deo in favorem baptizati dispensante (5).

VII.

Itemque si alter conjugum, quoad matrimonium ratum fidelium, voluerit perfectiorem vitam amplecti per solemnem religionis professionem, ecclesia auctoritate sibi a Christo tradita approbante.

VIII.

Ast quoad matrimonium consumatum fidelium evangelica et apostolica doctrina est, nulla unquam de causa ne adulterii quidem dissolvi posse quoad vinculum. — Etenim a Christo ad dignitatem sacramenti evectum est, assumptum uti symbolum suae perpetuae et indissolubilis conjunctionis cum ecclesia (6) Quae porro cum gratia perficiatur atque firmetur, ita et conjugium ad sanctificanda jura, et officia christiana charitate perficienda.

IX.

Ex qua mystica significatione luculenter patet conjunctionem matrimonialem, quoad essentiam et validitatem, tanquam obiectum sacrum, imo speciali quodam modo divinum, potestati, administrationi, et directioni ecclesiae subesse. Nam ejus naturalis contractus juxta leges divinas et ecclesiasticas initus, utpote materia hujus sacramenti, a Christo imperio civili penitus subductus est.

X.

Quapropter ecclesia jure proprio, et non a principibus concesso, eidem apponere potest conditiones, quibus valeat,

firmus consistat, vel dissolvatur, uti constat de Christo et apostolis, qui plures leges matrimoniales tulerunt.

XI.

Et cum in conjugiis fidelium contractus a sacramento sejungi non possit, causae quae relationem habent ad ipsum matrimonii vinculum, seu sacramentum, spectant ad solos judices ecclesiasticos, prout de Christo et apostolis legitur hac in re, uti legitimos judices decisionem edidisse, et jus dicere voluisse (7).

XII.

Ex quo patet ecclesiam non errare dum justis ex causis decernit, permitti posse ut conjuges ad certum incertumve tempus disjungantur quoad thorum et habitationem.

XIII.

Merito itaque Pius VI. (8) doctrinam synodi pistoriensis (9) launojanis versutis interpretationibus verum germanumque sensum canonum Tridentinorum (10) eludentem, eversivam et haereticam declaravit.

De his publica erit disceptatio in Ecclesia S. Mariae Paradisi die 25 Julii 1861. Cathedrae assistent PP. FF. LEOPOLDUS DE BICTONIO ET JOSEPH A CAPRAROLA.

---

(1) *Ad Gal.* 6. 8. — (2) 1. *Timoth.* 44. — (3) *Matth.* 19. 3. *Marc.* — 10. 11. *Luc.* 16. 18. — (4) *Genes.* 11. 23. *Matth.* 19. 4. — (5) 1. *Corinth.* 7. 10. — (6) *Ad Eph.* 5. 23. — (7) *Matth.* 5. 32. *et cap.* 19. 5. 1 *kor.* 7. 12. *et cap.* 6. 1. — (8) *Bulla Auctorem fidei.* — (9) *prop.* 59. — (10) *can.* 3. 4. 9. 12. *Sess.* 24.

VITERBII — Apud Camillum Tosoni.